QK. 432, 41 a
B. m. I
II c 1398

DE

POSCA

DISSERIT

VIROSQVE

OMNIVM ORDINVM AC DIGNITATVM

QVI

FRANCISCANEO NOSTRO

PATROCINANTVR ET BENE CVPIVNT

AD BENEVOLE AVDIENDOS

ALIQVOT BONAE SPEI ADOLESCENTES

CRAS HORA NONA MATVTINA

LOCO CONSVETO PVBLICE DICTVROS

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

M. CHRISTIANVS GODOFREDVS GRABENERVS

CON-RECTOR.

MISENAE IMPRESSVM A JVSTO GODOFREDO LOEWIO.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

BIBLIOTHECA PONICIAVIANA

POscae ueteres quidem auctores frequentissime fecerunt mentionem, nullus mihi tamen occurrit, qui de uocis huius notione, poscaeque confectione, egerit ex instituto. Hinc operae pretium duxi, ex antiquorum scriptorum monumentis uerum huius uocis sensum eruere, praesertim quum de posca uestigium quoddam in sacro codice deprehendisse mihi uisus sim. Discrepant inter se explicaturi poscam Grammatici. Dubii primo sunt, eam esculentis, an potulentis, annumerent? Qui priorem tuentur sententiam, caussae suae munimentum petunt ex auctoritate AELII SPARTIANI, qui laridum, caseum, poscam, *cibos castrenses* uocat (a). At enim uero, sicut constat inter omnes, qui castitati student stili Romani, idque ab AVSONIO POPMA (b) rectissime notatur, *cibum* probatae fidei auctoribus escam tantum esse, nunquam potum, ita recte licebit negare, *poscam* ciborum genus fuisse, quamuis id asserere uideatur SPARTIANVS. Vixit enim ille ad finem iam uergente saeculo tertio, ideoque aetate aenea, qua stili purioris illa, quae quondam, ratio non habebatur. Res enarrabat unicuique tum temporis notas. Hinc accuratae uocum differentiae incuriosus de posca dubie potius scripsisse, quam existimasse, uidetur. Quaecunque enim res a PALAESTRIONE illo PLAVTINO *ipsa per se* (c), et cui admixta *alia res* a PLINIO (d) *pota* dici potest, quin qua, auctore VEGETIO RENATO (e), ora

(a) In uita Imp. Hadriani Cap. 10. (b) De Different. uerbor. L. I. sub uoce *cibus*. p. m. 108. (c) In Plauti Milit. Glor. Act. III. Scen. II. v. 23. (d) In Hist. Natural. L. XX. Cap. 6. §. 26. edit. Harduini. et L. XXIII. Cap. 7. §. 71. (e) In arte Veterinaria, seu Mulomedicina, L. I. Cap. 56. §. 14. quae in Tom. II. Script. Rei Rust. a cl. GESNERO edit. extat. p. 1070.

ora iumentorum abluenda sunt, ea omnino non in ciborum, sed in liquorum, habenda erit numero. Firmat sane meam sententiam, quod CAROLVS du FRESNE (f) ex HIERONYMO MERCVRIALI (g) refert, antiquitus nimirum, ut escam cibos, sic poscam potus, quoscunque significasse, quippe quod modo dictus MERCVRIALIS et semet ipsum attendisse, et BARBARVM in antiquis FESTI codicibus notasse, inque Ferentini uetusto monumento *posculenta* pro *poculentis* legi, tradit. Quod certe in *Glossario Graeco-Latino* uox πόσις, *posca*, *potus*, *potio* uertatur, citato loco testatur CAROLVS du FRESNE. Quae si ita sint, spernenda haud quaquam est GERHARDI VOSSII de origine uocis poscae coniectura: *Posca*, inquientis (h), *est a* πόω, *ut ab* ἔδω *esca*. Legitur autem apud auctores saepissime *pusca* pro *posca*, quippe quae uocalium inter se commutatio Romanis admodum familiaris est, quod de literis O et V multis exemplis probat AVSONIVS POPMA (i). Quin et *fuscam* pro *posca* ueteres scripsisse du FRESNE, dicto loco, haud inepte coniicit. Id tamen animaduerti, quod φῶσκα non tam posca pura, quam medicata potio cum posca, audiat artis medendi peritis (k). Si posca itaque liquor est, nunc de natura eius ac confectione erit disquirendum. Sunt qui zythi, sunt, qui lorae, sunt qui aceti, aqua temperati, genus poscam habent. SVIDAE (l),

(f) In Glossario suo mediae et infimae Latinitatis. Tomo III. sub uoce *Posca*. (g) Variar. Lect. L. III. Cap. ultim. (h) In Etymolog. Lingu. Lat. p. 466. (i) De Vsu antiqu. locution. L. I. Cap. 1. p. m. 418. (k) Cf. AETIVS Tetrabibl. I. Serm. III. Cap. 80. et 81, et Tetrabibl. III. Serm. I. Cap. 24. PAVLLVS AEGINATES de Re Medic. L. VII. Cap. 5. et 10. (l) In Lexico sub uoce Ζύθος.

DIOSCORIDI (m), et PLINIO (n), *zythum potus ex hordeo* est. At nec descriptiones, nec uires, zythi et poscae eaedem sunt. Poscam adstringere, CELSVS (o), PLINIVSVE (p), testantur. Zythum contra, auctore DIOSCORIDE (q), potus est emolliens. Hinc PETRVM BELLONIVM, qui poscam inter zytha refert (r), mirifice errare cum SAMVELE PITISCO (s), et IOANNE HENRICO MEIBOMIO (t), affirmo. Accedit, quod zythi usus non fuerit Romae adeo uulgaris, ut militum, plebis, et seruorum, potus fuerit ordinarius, quod de posca dehinc euincam fusius. Vt taceam, zytho, potu, salubritati adeo officiente, milites Romanos, quorum integritati corporis omni ratione prospiciebatur, esse usos, haud quaquam accedere ad probabilitatem, et IOANNEM BRODAEVM (u), loca sibi occurrisse, memorare, in quibus PLINIVS zythum et poscam, ut diuersos potus, solicite distinxerit. Lora, si DIOSCORIDEM (x), VARRONEM (y), CATONEM (z), et PLINIVM (a), conferamus, *liquor* est *ex uuarum folliculis, et acinis post mustum affusa aqua expressus.* At ego nullibi legi, ueteres usos esse lora, ut medicamento, prae-

(m) De materia medica L. II. Cap. 119. (n) In Hist. Natural. L. XXII. Cap. 25. §. 82. (o) L. II. Cap. 30. (p) L. XXX. Cap. 7. (q) l. c. Ἔστι δὲ ζύθος διερητικός, καὶ νεφρῶν καὶ νεύρων ἀπτικός, καὶ μάλιστα, μηνίγγων κακωτικός. Πνευματικός τε, καὶ γεννητικὸς κακοχομιῶν, καὶ ἐλιφαντιάσεως ποιητικός. Ευεργὴς δὲ καὶ ὁ ἔλεφας γίνεται βρεχόμενος αὐτῷ. (r) Obseruat. L. II. Cap. 119. (s) In Lexic. Antiqu. Rom. sub uoce *Posca*. (t) In Comment. de Cerevisiis ueter. Cap. 13. qui extat in GRONOVII Opp. Tom. VIIII. (u) Miscellan. L. I. Cap. 11. (x) l. c. L. V. Cap. 13. (y) L. I. Cap. 54. §. 3. (z) Cap. 25. & 57. (a) L. XIIII. Cap. 10. §. 12.

praeterquam quod DIOSCORIDES (b), *conuenire eam aegris* tradat, *quibus uinum propinare dubitamus, et cogimur tamen ipsorum desideriis obtemperare, itemque a longa ualetudine sese recolligentibus*, quod tamen de posca constat inter omnes. Praeterea poscam pertinuisse ad annonam militarem, nemo negat. At ne unico quidem loco lora inter eam refertur, sed uini tantum et aceti, poscaeque et aquae, ut potuum castrensium, factam legimus mentionem. Nec id fieri quidem potuisse existimo. Si enim CATONI (c) fides habenda est, loram potarunt familiae tribus tantum mensibus post uindemiam, reliqua hieme *uinum*, quod uocarunt, *familiae*, et idem CATO (d) docet parare. VARRO etiam (e): *Lora*, inquit, *pro uino operariis datur hieme.* Cur, quaeso, non diuturnior eius usus fuit? Ratio in promtu uidetur esse, si annuam consulamus experientiam. Lorae enim parandae eandem, quam Romani, habemus rationem, et eam post paucos menses exolescere, nec ad aestiuum usque tempus durare, persentiscimus, quippe quod DIOSCORIDES (f) etiam annotauit. Quod si igitur lora tam breui temporis interuallo exoleuerit, minus probabile est, poscam lorae genus fuisse, quum posca, quod ex sequentibus apparebit, potus militaris dicatur in genere, nec ad aestiuum tempus restringatur, lora uero in hybernis tantum uti potuerint milites Romani. Quamuis enim non negem, propter auctoritatem COLVMELLAE (g), confici posse loram, quae diutius queat conseruari, eam tamen uirtute tantum admistorum, uix uni alteriue cognitorum, retinere uires, meo iure existimo. Quum itaque posca nec zythi, nec lorae, genus sit, forte acetum erit aqua tem-

(b) loco citato (c) loc. citat. (d) Cap. 104. (e) loc. cit. (f) loc. citat. (g) L. XII. Cap. 40. §. 1. 2.

temperatum. Ita quidem uidetur aliquibus. Producere liceat in medium uerba PLINII, quibus de uiribus aceti aqua mixti exponit, easque cum uiribus, quae poscae attribuuntur, conferre, et insignis elucebit in utroque conuenientia. *Cum aqua*, inquit, (h) *acetum conualescentium, et a solis ardoribus.* Quid uero magis accedit ad probabilitatem, quam in eligendo potu militari talem ceteris praetulisse Romanos, quo aestuantis plagae incolae, et durissimis laboribus desudantes, in primis indigebant? Eandem ob caussam VEGETIVS RENATVS (i) de posca ita pronuntiare uidetur: *Post sudorem quoque, si aestus sit, pusca os iumenti ablui conuenit, si hiems, muria.* Pergit PLINIVS: *Oculis quoque illo modo saluberrimum fotu:* et idem VEGETIVS RENATVS (k) *laxorum iumentorum posca et pelugio nares, et totam faciem, foueri*, iubet. *Medetur*, inquit PLINIVS, *potae hirudini. Ita lepris, furfuribus, hulceribus manantibus, canis morsibus, scorpionum, ictibus scolopendrarum, muris aranei, contraque omnium aculeatorum uenena et pruritus. Item contra multipedum morsum.* Aliis locis PLINIVS de posca ita disserit (l): *Cortices raphanorum in posca decocti contra serpentium morsus illinuntur.* Item (m): *Scorpionibus aduersatur e radice corticis* (mori) *succus ex uino, aut posca, potus.* Sed redeamus ad PLINII de aqua cum aceto locum: *In sanguinis aientis, fluxione, post excisos calculos, et omnia alia, foris in spongia impositum, intus potum cyathis binis quam acerrimum. Conglobatum utique sanguinem discutit.* De posca VEGETIVS RENATVS (n) ita loquitur: *Si iumentum in oculis tritiacem patitur,*

(h) Hist. Natural. L. XXIII. cap. 1. §. 27. XX. cap. 4. §. 13. (i) In Mulomedicina *L.* I. cap. 54. §. 14. (k) l. c. *L.* I. cap. 38. §. 10. (l) *L.* XX. cap. 4. §. 13. (m) *L.* XXIII. cap. 7. §. 11. (n) In Mulomedicina *L.* II. cap. 15. §. 3.

patitur, plerique adhibent cum deformitate compendium, ut postea, quae prominent, ad mensuram naturae forpicibus amputent, posca, quae frigida sunt, propter fluxum sanguinis foueant. Idem: *Alii,* inquit (o), *sagitta pertuso corio phlegmon effundunt, et lanam madidam cum aceto et lasare plagis inserunt, sic spongiam cum pusca acri, et lasare, supra uulnus imponunt.* Plura de aceto aqua temperato refert ibidem PLINIVS: *Sistit,* aiens, *aluum et rheumatismos interaneorum infusum.* Contra CELSVS (p): *Adstringunt minutae aues, merulae, palumbes, magisque si in posca decocta est.* Idem alio loco (q): *Dari uero in uicem mellis despumati potest uel intrita ex aqua calida, uel alica elota, si firmus est stomachus, et compressa aluus ex aqua mulsa, si uel illa languet, uel haec profluit, ex posca.* Tandem PLINIVS: *Inhibet,* inquit, *dentium labefactationem.* Sed idem quoque testatur (r): *Anonis estur muria condita. Recens uero margines hulcerum erodit. Radix decoquitur in posca dolori dentium.* Praeterea de lactucis siluestribus, seu sponte nascentibus extat hic locus PLINII (s): *Lactucae succus aluum purgat in posca potus ad duos obolos,* qui ex DIOSCORIDE (t) ad uerbum transscriptus est, si excipias, a PLINIO *poscam,* quod a DIOSCORIDE *oxycraton,* uocari. Non enim PLINIVS omnia ex ingenio scripsit, ideoque uidetur, enarraturus uirtutes lactucae sponte nascentis, praeter ceteros et DIOSCORIDEM consuluisse, eiusque sententiam ad uerbum latinitate donasse. Vt autem illa aceti aqua temperati, poscaeque, tanta est

(o) *L.* II. cap. 48. §. 8. (p) *L.* II. cap. 30. (q) *L.* III. cap. 6. (r) *L.* XXVI. cap. 4. §. 21. (s) Hist. Natural. *L.* XX. cap. 6. §. 26. (t) *L.* II. cap. 165. Καθαίρει δὲ μετ' ὀξυκράτου ποθεὶς ὁπὸς δυοῖν ὀβολοῖν ὁλκὴ ὑδατώδη κατὰ κοιλίαν.

est conuenientia, ut ei magna uis insit, ad nobis persuadendum, utrumque eundem fuisse potum, sic ex isto PLINII loco appareret, poscam et oxycraton uoces esse notionis eiusdem. Si igitur posca ὀξύκρατον est, uel sola ui uocis est acetum aqua temperatum, siquidem, si fides est habenda LVDOVICO CAELIO RHODIGINO (u), κερᾶν, siue κεράσθαι, in aquae usu fere dicitur Graecis. Sed et praeter illum eandem tuetur sententiam NICOLAVS MYREPSVS (x), qui clarissimis uerbis tradit, confici oxycraton, *si aceti sextario uni addatur aquae sextarius semis.* Consentiunt GALENVS (y), et alii artis salutaris periti (z), itemque LEONHARDVS FVCHSIVS, CORNARIVS, aliique Medicorum Graecorum interpretes, quos collegit, et uno uolumine edidit STEPHANVS. Neque illud praetereundum, ea, quae de militum uictu CONSTANTIVS *Augustus*, et JVLIANVS *Caesar*, latinis uerbis (a), *Imperator* autem LEO graecis (b), edixerunt, plane eadem esse, praeterquam quod loco aceti uoce ὀξυκράτε hic usus sit, quam interpretes eius poscam transtulerunt. Quae quum ita sint, non nouum tantum robur meae accedit sententiae, potum militarem, qui, teste SPARTIANO, posca fuit, Graecorum esse oxycratum, sed et inde liquet, poscam solius aceti nomine uenisse

(u) Lect. Antiqu. *L.* XX. cap. 20. (x) De compositione Medicamentorum Sect. 1. de Antidotis cap. 383. (y) *L.* I. de Simpl. Facult. cap. 29. (z) Cf. PHILIPPI JACOBI SACHS a LEWENHAIMB Ampelographia Sect. VIII. cap. I. p. 537-540, et JACOBI PANCRATII BRVNONIS Lexicon Medicum sub uoce *Oxycraton.* (a) L. 1. C. de erog. militar. annon. (b) Cf. GODOFREDVS STEWECHIVS, qui in Commentar. ad VEGETII *L.* III. Cap. III. uerba: *Frumenti, uini, aceti, nec non etiam salis omni tempore necessitas declinanda,* haec refert, quum mihi ipsius *Imperatoris* LEONIS *constitutiones militares* euoluendi non contigerit potestas.

uenisse Romanis. Hinc mihi uenit in mentem dubitare, Romanos unquam usos esse aceto per se, sed potius temperatum semper bibisse existimauerim. Acetum enim inferioris certe sortis hominum potum fuisse ordinarium, quis est, quem fugiat? At enim uero, quis putet, posse quemquam sine detrimento ualetudinis suae uti tanta portione aceti quotidie, quanta ad restinguendam sitim opus est? Quin acetum per se sitim non depellere, ex AETIO (c), IOANNE GVILIELMO STVCKIO (d), et PLINIO (e), didici. Ex quibus prono fluere uidetur alueo, iis in locis, quibus acetum inter potus ordinarios refertur, de aceto aqua temperato, siue de posca, esse sermonem. Hoc ipso corruit AVSONII POPMAE de posca sententia, qui, *eam ex uino mucido, aquae, uel aceto, mixto, confectam esse*, existimat (f), quippe prouocans ad auctoritatem Medicorum, quorum tamen ne unicum quidem allegat, et ad locum ex PLAVTI *Milite*, de quo deinceps disseremus, ut haec opinio ingenio magis uiri clarissimi, quam firmis rationibus, niti uideatur. Fuit autem *poscae usus* multiplex. Commendata ea fuit aegrotantibus a Medicis, et saluberrimae ex ea confectae sunt potiones, quod et ea, quae iam prolata sunt, et AETIVS (g), ac PAVLLVS AEGINATES (h), pluribus locis testantur. Plebis potum fuisse ordinarium, non ex illo tantum loco PLAVTINO (i), ubi *Gripus*, piscator, iocose ait:

(c) Tetrabibl. IIII. Serm. I. (d) Antiqu. Conuiual. *L.* I. cap. 21. (e) Hist. Natural. *L.* XXIII. cap. 1. §. 27. (f) De Instrument. Fundi, cap. 20. p. 1190. extante in GESNERI Script. R. R. Tom. II. (g) Tetrabibl. I. Serm. III. cap. 24. 80. 81. (h) *L.* VI. cap. 5. et 11. (i) In *Rudente* Act. IIII. Scen. II. v. 32.

Sed hic rex cum aceto pransurus est, et sale, sine bono pulmento, sed etiam ex uariis legibus (k), potest cognosci. Quod serui quoque poscam biberint, non ex modo citato tantum PLAVTI loco, ubi *Gripus* semet ipsum ita alloquitur (l):

Nunc haec tibi
Occasio, Gripe, obtigit, ut liberet ex populo praetor te.
Nunc sic faciam, sic consilium est: Ad herum ueniam docte et astute,
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber,

sed et ex illo, liquet (m):

Alii ebrii sunt, alii poscam potitant,

nisi forte haec uerba, ex mente GRVTERI, ita exponenda sint, ut serui posca, tanquam medicina, stomachum crapula debilitatum corrigere studuerint. Poscam biberunt in expeditionibus maritimis Romani, quod *Imperator* IVLIANVS (n), expeditionem suam Persicam describens, memorat. In obsessionibus quoque, teste VEGETIO (o), poscae usus fuit insignis. In primis autem posca potus fuit militaris. Auctores eius rei sunt SPARTIANVS (p), et VVLCATIVS (q). Quod uero antiquissimis quoque temporibus posca potus fuerit castrensis, docet potissimum SPARTIANVS, dum, *Hadrianum larido, caseo, et posca, ut cibis castrensibus, in propatulo libenter usum esse*, tradit, *exemplo Scipionis Aemiliani, et Metelli, itemque auctoris sui, Traiani*. Nec nostra aetate poscae usus plane obsoleuit. Non enim

(k) Cf. l. 3. §. 5. D. de pen. leg. l. 2. §. 3. D. de Opt. et elect. leg. et l. 1. l. 9. §. 1. D. de tritic. uin. uel ol. leg. (l) l. c. v. 21. sequ. (m) In Milite glorioso Act. III. Scen. II. v. 22. (n) In Epist. ad Libanium Sophist. et Quaestor. sub fin. (o). De Re milit. L. IIII. cap. 7. (p) In uita Hadriani cap. 10. et in uita Pescennii nigri cap. 10. (q) In Auidio Cassio. cap. 5.

enim VEGA (r) solum, eum adhuc inter messores, laborantes, iterque agentes sub aestu solis obtinere, asserit, sed et eundem ANGELVS SALA (s) Italis, ut IOANNES BAPTISTA DONIVS (t) Venetis, tribuit. Produxi quidem in antecedentibus ex MYREPSO locum, quo *poscae confectio* describitur. Verum enim uero, non semper eandem portionem aquae aceto mixtam fuisse, ex VEGETIO RENATO didici, qui *poscae acris* mentionem facit (u). Hinc mihi in mentem uenit, coniicere, poscam forte, quam ad medicinas adhibuerunt Medici, eo tantum confectam esse temperamento. Praeterea AETIVS *dilutam poscam* commemorat (x), et SCRIBONIVS LARGVS *frigidam* (y), atque PHAEMON CYNOSOPHII *poscam cum ouis.* (z). Quae diuersa poscae genera declarare mihi uisa sunt, qui Imperatoris Vitellii Asiaticus quidam libertus a SVETONIO (a) poscam uendidisse dici posset. Nimirum ita uidetur existimandum, hunc libertum egisse Puteolis circulatorem, seu empiricum, in cuius taberna, more eorum, qui nostra aetate uinum uendunt, quod uocant, sublimatum, omnia poscae genera uenierint. Sed iam ab initio huius commentationis monui, uideri mihi poscae mentionem ne ex sacris quidem literis exulare. Erit mihi itaque, quod deprehensi uestigii faciam indicium. Id autem praesto, dum lectori reuoco in memoriam, quod Christo, morti proximo, sitienti, *acetum* sit oblatum

(r) De arte medendi. *L.* II. Sect. III. cap. 3. (s) In Opp. Append. Sect. II. p. 826. (t) In libro de restituend. salubr. agri Rom. qui extat in SALLENGRE Thesaur. Antiqu. Rom. Tom. I. p. 999. (u) in Mulomedicina cap. 48. §. 8. (x) Tetrabibl. III. Serm. I. cap. 10. (y) Cap. 23. §. 104. (z) Cf. JOANNIS MEVRSII Glossarium Graecobarbarum, sub uoce Φῶσκα: Φῶσκα δέ ἐστιν ὄξος ἢ ὕδωρ θερμὸν, ἢ ᾠὰ δύο. (a) In uita Vitellii. cap. 12.

tum a militibus. Enarrat hanc potationem fuse diuus JOANNES (b). Nec tamen eam sicco plane, ut aiunt, praetereunt pede MATTHAEVS (c), MARCVS (d), et LVCAS (e). Quae si loca accuratius perpendamus, docemur primo, quod acetum, et quidem aceti uas, siue aceti magna portio, posita fuerit in loco supplicii. Deinde liquet, eandem fuisse in potestate militum Romanorum. Nam simulac humani generis sospitator sitim esset professus, statim aliquis accurrit miles ad eum potandum. Vt taceam, non uero simile esse, milites aliunde accersiuisse acetum, quum, a statione decedere, militi non liceat. Quid autem magis accedit ad probabilitatem, si uas aceto impletum in manibus eorum uideas, qui acetum biberunt, quam illud uas ideo ad crucem fuisse positum, ut eo, quod continebat, aceto sitim restinguerent? Addicunt caussae, quae rem circumstant. Christus enim sitit, et ex templo accurrit miles ad uas aceto plenum. Attendamus, quod spongiam aceto impletam miles ori saluatoris, eius potandi caussa, admouerit. Si uero acetum hoc militibus Romanis ad potandum fuit destinatum, poscam, potum militum Romanorum ordinarium, fuisse, cur dubitemus? Non obstat, quod ille potus non uocetur ὀξύκρατον, sed ὄξος, quoniam, poscam aceti nomine uenisse Romanis, supra ostendi. Si uero quis coniiciat, hoc ὄξος, cuius diuini uiri mentionem faciunt, purum forte adhuc fuisse, nondum aqua temperatum, nec hinc poscam, caussa ei erit, cur coniecturae suae rationes suppeditet, quas ego quidem nullas uideo. Vero potius euadit simillimum, non acetum per se, sed iam aqua ad certam mensuram

(b) Cap. 19, 28-30. (c) Cap. 27, 48. (d) Cap. 16, 36. (e) Cap. 23, 36.

ram temperatum, militibus fuisse diuisum, si meminerimus eius, quam supra produxi (f), legis, quippequae de annona praecipit, quam *percipere* soliti fuerunt milites Romani. Refert enim inter eam *acetum*. LEO, quem iure interpretem huius legis habemus, poscam substituit. Sic posca diuisa est militibus, non acetum per se. Ergo et illud acetum, quod Christus bibit, posca fuit. Peritissimus legum, omnique paene genere scientiarum non leuiter imbutus EDMVNDVS MERILLIVS (g) auctor, quantum memini, huius fuit sententiae. Qui eum secuti sunt, recensentur a doctissimo ANTONIO BYNAEO (h). Qui operae pretium ducit cognoscere, quantum in modum hoc ὄξος interpretes uexauerit, adeat GERHARDVM (i), et modo dictum BYNAEVM (k). Eo usque processit interpretum coniectandi audacia, ut aliquis existimauerit, acetum in monte Caluariae ideo praesto fuisse, ut eo spectatores imbuerent nares ad odorem tetrum, ex cadaueribus facinerosorum exhalantem, pellendum. Quisquis es, sub censuram uoca omnes illas, quas recensuerunt laudati auctores, de illo aceto opiniones, nec ullam inuenies, contra quam moueri non possint dubia omni solutione maiora. At nostra sententia nullis penitus premitur difficultatibus, nisi ad quas prona, facilisque, est responsio. Quam si amplectaris, quisque perspicit, cur uas cum posca prope crucem fuerit collocatum, quum milites Romani ea, ut potu ordinario, usi sint, et interdum cruci affixi, penes quos uigilias egerunt, per plures dies uixerint, quibus et

 cibo,

(f) L. I. Cod. de erog. mil. ann. (g) In notis nomophilologicis in pass. I. C. ad Ioan. XVIIII. n. 36. quae extant in Crenii Opp. Fasicul. III. (h) In L. III. de Morte l. C. cap. 8. §. 7. p. 421, sequ. (i) In Harm. Euang. cap. 202. p. 2018-2021. (k) loc. cit.

cibo, et potu, opus habuerunt, quod et LIPSIVS (l) testatur, et inde colligimus, quod miratus est Pilatus, Christum tam celeriter obiisse (m). Item reddi potest ratio, cur poscam obtulerint sitienti Christo, quod nimirum nullus alius potus aderat. Quamuis enim, testimonio LVCAE (n) commotus, lubentissime concedam, milites Romanos Christo sitienti poscam afferentes illusisse, illusionem tamen non in eo, quod sitientem posca, nec alio quodam fluido, potauerint, sed potius in uerborum acerbitate, occasionem forte ex titulo crucis arripientium, quo rex dicebatur, qui tamen, ut *Gripi Plautini* uerbis utar, cum aceto, potu seruili, prandebat, ponendam esse, cum celeberrimo BYNAEO (o) existimauerim. Probe tamen distinguenda est haec, de qua egi, secunda Christi potatio, quae facta est in cruce, et prior, quae ante, quam cruci affigeretur, accidit, et a MATTHAEO (p), atque MARCO (q), traditur. Plane enim diuersam hanc potationem esse, colligo tum ex eo, quod MATTHAEVS aeque, ac MARCVS, alteram quoque commemorat, tum quod haec accidit prius, quam cruci affigeretur, illa, quum ex cruce penderet, tum quod Iesus hunc potum non, alterum uero omnino, assumsisse dicitur. Qui actus quum differant, et huius potationis explicationem nec instituti mei, nec temporis, ratio mihi iniungat, eam acutioris ingenii hominum studio permitto, eosque, qui uarias interpretum sententias cognoscere cupiunt, ad eruditissimos uiros, GERHARDVM (r), BYNAEVM (s), et LIGHT-

(l) De Cruce L. II. cap. 12. (m) MARCI XV, 44, 45. (n) Cap. XXIII, 36. (o) l. c. p. 427. (p) Cap. XXVII, 33, 34. (q) Cap. XV, 22-24. (r) l. c. Cap. CLXXXXVII. p. 1947-1952. (s) l. c. L. III. cap. 5, §. 26. p. 265-276.

LIGHTFOOTVM (t), ablego. Clarissimum uero de Christo poscam bibente extat DAVIDIS uaticinium (u): ולצמאי ישקוני חומץ, *sitientem me potarunt aceto.* Quod non, nisi de hac altera Christi potatione, explicari potest. Posca enim, teste IOANNE (x), Christo oblata est, postquam dixisset: *Sitio, ut impleretur scriptura.* Haec autem de aceto aqua temperato praefari constitueram exercitio oratorio indicendo, ad quod, die crastino, me duce, publice prodibunt tres adolescentes, priuatae institutioni meae commissi, itemque domestici, quibus, licet non eadem nascendi fortuna, tantum tamen, ut PLAVTI uerbis utar (y), *aceti in pectore*, hoc est, acuminis ingenii, contigit, ut non possimus non de iis bene sperare. Dicet autem, et praesciente, et id consilium gratulante, GREENIO mihi Conuenctissimo, *Georgius Godofredus Mullerus*, Lommatiensis, latine, *de uultu, animi indice, Fridericus Augustus Burgerus*, Misenensis, graece, *de quibusdam ritibus in Gymnasiis Graecorum olim uersantium*, uterque oratione prorsa, at *Julius Ernestus de Schutz*, e nobilitate Hermundurorum, carmine lingua uernacula conscripto, *de somno, felicitatis imagine.* Ad quos beneuole audiendos, ut, qui et mihi, et meis, patrocinantur, atque fauent, cras, hora nona matutina, loco consueto, frequentes uenire haud grauentur, ea, qua par est, obseruantia contendo. Perscripsi in Franciscaneo Misenensi die XVI Ianuarii ∞ɔɔcxxxxi.

(t) In Hor. Hebr. in Euang. Matth. Cap. XXII, 33, 34. et in Ioann. XVIIII, 26. (u) Psalm. LXVIIII, 22. (x) Cap. XVIIII, 28. (y) In Bacch. Act. III. Scen. III. v. 1. et Pseudol. Act. II. Scen. IIII. v. 49.

* ✲ ✲

QK Hc 1398 x 313 4180

QK. 432, 41 a
B. m. I
II c 1398

DE

POSCA

DISSERIT

VIROSQVE

OMNIVM ORDINVM AC DIGNITATVM

QVI

FRANCISCANEO NOSTRO

PATROCINANTVR ET BENE CVPIVNT

AD BENEVOLE AVDIENDOS

ALIQVOT BONAE SPEI ADOLESCENTES

CRAS HORA NONA MATVTINA

LOCO CONSVETO PVBLICE DICTVROS

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

M. CHRISTIANVS GODOFREDVS GRABENERVS

CON-RECTOR.

MISENAE IMPRESSVM A JVSTO GODOFREDO LOEWIO.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA